

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CXLVII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](#)

A . 1573.

PARS QUARTA.

471

les, oro, quia occupatissimus fui ; faciam autem primo quoque tempore. Bene & feliciter vale. Raptim Bebenhusii, 28. Augusti, 1573.

Tuus ex animo totus frater

Jacobus Andreæ.



CXLVI.

Salutem.

**G**ratissima mihi fuit Epistola Vestra, Clarissimi Viri, cum propter narrationem ipsam, ut intelligam, quo loco pasum res sint Ecclesiæ in Saxonia, tum quod nunciant de felicissimo vestro ad Parentes vestros reditu, quo nomine & vobis & parentibus vestris ex animo gratulor. Quominus autem ad singula responderem, excusabit me apud vos D. Flinnerus, pater & frater vester, quia loco Epistola scriptæ viva Epistola erit & propediem ego alia etiam addam. DOMINUS JESUS Vos diutissime salvos & incolumes una cum patente, fratre meo charissimo, conservet. Bene & feliciter valete. Raptim Bebenhusii, 28. Augusti, 1573.

Vester ex animo

Jacobus Andreæ.



CXLVII.

Salutem in Christo Jesus. Reverende & clarissime Do-  
mine & frater charissime.

**P**etivit à nobis M. Pappus à Collegio nostro Doctrinæ Testimonium publicum, quod sumum in professione nostra perhiberi potest. Quod quidem & mihi & collegis meis longe gratissimum multis nominibus fuit. Idque eam potissimum ob causam, quod non modo non dissentiente, sed etiam consentiente Rectori Academiæ vestræ, Decano & omnium Scholarcharum consensu factum esse intelligimus, à quibus non modo præclarum virtutis & doctrinæ testimonium est consecutus, sed etiam liberali munere ornatus. Sicenim inter vestram & nostram Scholam, pitum, satictum & salutarem consensum in doctrina conservari posse confidimus. Accedit alterum quoque, cum Rectoris voluntate & consensu, quicquid id est,

est, suscepit, eundem auctoritate publici testimonii nostri confirmatum fortassis se porrò minus quam haec tenus tibi oppositum, cuius consilia, D. Pappus, vel averttere vel mitigare poterit. Accedit tertium quoque, quod tibi non minus cordi esse existimo, cum aperte vix audeas filios tuos, viros quidem Doctissimos, illis propone-re, quos vides tibi vehementer adversari, & semel repulsam pallus, non tam voluntati tue, quam filiorum piis conatibus nocere posses. Nunc per eundem Pappum via commodissima parati poterit, ut præter expectationem evenire queat, de quo tu nunquam cogitare ausus fuisses. Meministi enim, quæ D. Praepositi Studgadi-  
diani & mea, cum tecum essemus, fuerit sententia, quam nondum mutavimus, &  
si tu nos audieris, nunquam te, quod certò scio, pœnitentib. Nam alia ratione si ten-  
taveris, non modo non procedet feliciter, sed & causæ, & tibi, & filiis tuis nocebis.  
Rectissime ergo feceris, si in ornando Pappo porrò quoque non minus labore  
quam haec tenus fecisti. Eaque in re Rectorem & collegas ejus superare studeas, qua  
in parte illorum vinces voluntatem, & Pappum tibi multis nominibus obstrictum,  
habebis totum obligatum, neque filiis tuis, neque tibi ingratum. Hæc ego eo can-  
dore scribo, quo me omnia facere novisti. In suis propriis rebus nemo per omnia  
sapit, maximè cum de filiorum salute agitur. Bonos viros audias. Certò scio, te  
& fore animo tranquillo & tuis omnibus, Ecclesiæ, scholæ, causæ, tibi rectissime  
consulturum. Optarim equidem ego & collegæ mei, ut alio loco essent res Eccle-  
siæ & scholæ vestræ, ut nemine contradicente filios possèbant habere collegas, viros cer-  
te nostro quoque judicio Doctissimos. Sed vides, te aperte id agere non posse, ne-  
que etiam nostro consilio debere. Sed ~~ad~~ cum habuerint Pappum, pedem  
in Academia vestra fixisse mihi videntur. Ac nisi hominum omnium ingratissimus  
esse voluerit Pappus, sedulo de filiis tuis sibi adscendis cogitabit, nec quiescat, do-  
nec eosdem collegas habuerit. Hæc breviter ad te scribere libuit, ut intelligeres,  
quantum non modo tibi faveam, sed etiam filiis tuis consultum velim. Qui in meis  
ædibus sanctissimè vixerunt. Bene & feliciter vale, & meo meæque nomine TUAM  
sanctam uxorem, & filios filiasque tuas reverenter & diligenter salutabis. Raptum  
Tubingæ, 25. Septembris, Anno 1573.

Tuus totus ex animo frater

Jacobus Andreæ.

### CXLIX.

### *Salutem in Christo.*

L iteras tuas, Reverende & Clarissime Vir, Domine & frater charissime, propria  
 tua manu scriptas accepi, quæ me non parum perturbarunt, quod in illis me  
 accu-